

Jakob Carmon

**Rectoris Academiæ Rostochiensis, Jacobi Carmon, Phil. & U.J.D. ... Programma,
Qvo Festum Pentecostes Ceu Reliqvorum Festorum Omnia Complementum
Sistit, utque pie illud, sanctè ac reverenter peragant, Cives Academicos ...
admonet ac adhortatur**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1731?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004016301>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1431. Pfingsten.

~~M-1256. 213.~~

RR. 1731.

RECTORIS
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
JACOBI CARMON,
Phil. & U. J. D. Pandect. Prof. Ducal. Publ.
Fctis Jurid. Decani & Senioris,
Consistorii Ducalis Consiliarii

PROGRAMMA

QVO



FESTUM PENTECOSTES
CEU
RELIQVORUM FESTORUM OMNIUM
COMPLEMENTUM
SISTIT,

utque
pie illud, sancte ac reverenter
peragant,
CIVES ACADEMICOS O. O. HONORATISSIMOS,
qua par est ratione,
admonet ac adhortatur.

ROSTOCHII,
TYPIS IO. IACOB. ADLERİ, SEREN. PRINC.
& ACAD. TYPOGRAPHI,

M. 1256 213



Væ ab infinita benignissimi Numinis gratia in humanum genus & collata sunt & conferuntur beneficia , non ingentia solum , sed & multiplicia , quin innumera prorsus esse ac ineffabilia , quisquis negare vellet , tantum abest ut Christiani nomine dignus censendus , ut ne ratione quidem , quæ à brutis hominem distinguunt , pollere , vel saltem , ceu decet , uti , judicari queat . Non sedet animo , quibus divina providentia cunctos mundum hunc ingredientes , inde à primo corundem ortu , per omnem hanc naturalem vitam , ad exitum ex eadem usque , largissime donat , bona nunc temporis commemorare , quæ Paulus *Act. XVII. 28.* paucis equidem verbis , amplissimæ vero significationis , comprehensa depraedicat : *In DEO , inquiens , vivimus , movemur , & sumus.* Quæ licet omnia , cum gratiarum actione , collaudanda nobis , grataque semper recolenda memoriâ sint , haud minus ac eorum quotidie participes nos experimur ; hodie tamen non erunt præcipuum sacrarum meditacionum nostrarum objectum . Spiritualia quippe Spiritus Sancti , quod in praesenti celebramus , Festum suggesterit , ad eademque meditanda potissimum mentem excitat , quæ nostram sibi proinde nunc vindicant consuetam hoc tempore , qua Ves , CIVES ACADEMICI O . O . HO-

O. HONORATISSIMI! alloquendi estis, commentationem. Celebavimus jam, quæ quotannis publicè solenniterque cum Ecclesia celebrare suerimus, hœc Anno, Magnalia DEI ac illius in nos bonitatem eloquentia, Festa plura, quibuscum si præsens hoc nostrum comparaverimus, istorum omnium hoc quasi complementum haud incongruè dici posse, deprehendemus. Quamobrem, ut illius mecum agnoscatis sanctitatem præstantiamque, CIVES OPTIMI! simul etiam piè sancteque peragatis ipsum, haud abs re fore, sum arbitratus, nec intempestivum, si ut tale illud descripserim, quod clarius appareat, Spiritui Sancto nos debere, quod bonorum per Christum nobis partorum ætu participes fiamus. Nostis siquidem satis superque, DEum, quæ infinita ejus bonitas est, non ratione prædicta solum creaturas nos produxisse, sed iis etiam instruxisse viribus, quibus tam rationali nostræ naturæ, quam ipsius voluntati conformiter nos gerere potuissimus, quid? quod ad eternam nos salutem creaverit, utque eandem obtineremus, sui ipsius divinam in primis Parentibus nostris nobis concreaverit imaginem. At novimus quoque, quod nunquam cognovissemus, optandum fore, Protoplastos, astu Diaboli seductos, Legem divinam temerè transgrediendo non sibi solum ipsis, sed nobis etiam & omnibus posteris suis, amissâ imagine divinâ, profundissimam attraxisse naturæ corruptionem, quæ sicuti gratia divinâ & æternæ salutis hæreditate nos indignos; ita filios iræ naturæ, Eph. II. 3. poenæque reos effecit, à justitiâ divinâ mortis, diaboli ac inferni potestati subjectos, ut in omnem æternitatem prævaricationem illam paradisiacam & abinde provenientia peccata omnia supplicii nunquam unquam finiendis lueremus. Verum, qua est infinita bonitate ac philanthropia, DEus, misertus estam præstantis, tamque sibi dilecta creaturæ, Satane malitiâ fraudulentisque persuasionibus tantam in miseriā præcipitatæ, à quâ nisi divinâ ope liberari, aut ad pristinam, ad quam producta, felicitatem reduci poterat. Cum verò nec contra seipsum agere, nec justitiâ suâ læsa manente, peccata nobis condonare, aut in gratiam recipere atque salvare nos posset, ecce! sapientia illius æterna, futurum humani generis lapsum prævidens, una cum in illud conversâ misericordiâ, medium nobis prospexit sufficientissimum, quo tam suæ ipsius justitiae peccato læsa satisficeret, quam r. obis, reconciliatâ gratiâ, à morte ad vitam re-

vocatis,

vocatis, æternæ beatitudinis hæreditas & spes restitueretur. Quandquidem scilicet nec infinitæ justitiæ finita creatura satisfacere potest, *Ps. XLIX. 8. 9.* siquidem inter finitum ac infinitum infinita distantia est, inter justitiam vero læsam & satisfactionem proportio intercedere debet: quapropter DEO satisfacturum, ipsum esse DEum oportebat; nec tamen DEus, utpote omnis omnino passionis absolute expers, quas peccatis nos meriti sumus, poenas nostrum loco sustinere pative potest: Idecirco Filium suum ipsum Redemptorem nobis dare DEus decrevit, qui nostram, in hypostasin suam, humanaam naturam assumeret, adèdque *Θεόν θεωτόν* factus obedientia suâ poenali pariter ac non poenali Legi justitiæque divinæ pro imputatis ipsi peccatis nostris satisfactionem præstaret, & à potestate peccati, mortis, Diaboli ac inferni liberatis nobis gratiam divinam, peccatorum remissionem, vitam & salutem æternam mereretur atque recuperaret. Quò verò homines illorum per Christum nobis partorum honorum actu participes redderentur, voluit, ut in eum, Redemptorem nostrum, crederemus omnes, verâ cordis fiduciâ meritum illius apprehendendo & tanquam nostrum nobis applicando, quod tum nobis haud secus, ac si proprium nostrum ipsorummet esset, imputandum, quò, licet naturâ injusti & damnationis rei, fieremus justitia DEI in Christo, sicut ille, qui tamen non noverat peccatum, pro nobis peccatum factus erat, *2. Cor. V. 21.* Quæ omnia Salvator ipse non magis verborum brevitate, quam plenitudine sensus edocet *Job. III. 16.* *Adiò, in quïens, dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sed quia fides nostrâ in potestate non est, ita ut, ceu vel ex Catechismo nostro didicimus, propriis rationis nostræ viribus JESu Christo Domino nostro fidere, aut ad eum accedere, & pervenire nullo modo possimus: propterea benevolentia DEI erga nos summa non solum fidem in nobis operatura media constituit ac ordinavit, sed & Spiritum S. nobis promisit, eandem per illa in nobis producturam, sic ut quicunque non restiterit iisdem, fidem in Christum concipere, & per fidem æternam obtinere salutem possit, *Job. XX. 31. Rom. I. 16. Tit. III. 5. junctis I. Cor. XII. 3. Gal. V. 22.* Sic itaque DEus in plenitudine temporis emisit Filium suum, natum ex muliere, factum sub Lege, ut eos, qui sub Lege erant, redi

redimeret, ut adoptionem filiorum acciperemus, *Gal. IV. 5.* & ipse unigenitus DEI Filius *incarnatus* est, *Job. I. 14.* *assumto semine Abrabæ*, i. e. humanâ nostrâ naturâ, *similis per omnia factus fratribus*, *ut misericors esset*, & *fidelis Pontifex princeps quoad ea*, *quæ ad DEum pertinent*, *ut expiaret peccata populi*, *Ebr. II. 16. 17.* Atque sic ipse, quemadmodum nostram in salutem à DEO missus; ita quicquid vel agendo vel patiendo præstitit, id omne nostrum loco, pro salute nostrâ præstitum, è sacro divinarum literarum Codice satis edocti sumus superque. Nimis autem, pro plagulæ capacitatem, prolixum foret, cuncta ea hic edifferere, quæ quilibet, cui salus æterna curæ cordique est, sincerus Christianus pia recordatione sèpibus repetita secum meditatur; ut in omnibus hujus vitæ miseriis gravissimis spirituale animæ solatium inde percipiat, cum spe partam nobis per Christum liberationem ab illis & beatitudinem incomprehensibilem, in alterâ vitâ, quæ gratia divina est, olim obtinendi. Quò tamen crebriùs, qui Christi nomen profitentur & ab eo denominari gestiunt, coelestium horum divinorumque beneficiorum, quorum Salvator noster unica causa meritoria est, recordarentur, pia pariter atque prudens Antiquitas certa quædam ab Ecclesiâ quotannis celebranda Festa instituit ac ordinavit, in quibus eadem populo DEI proponenda, ut ad agnoscendam ex iis benignitatis erga nos divinæ profunditatem inexhaustam eò magis invitarentur magisque, ac ad DEI laudem gloriamque decantandam admonerentur. Eum igitur in finem Festa nobis fuere, ut Annunciationis, sic quoque Nativitatis, quin & Circumcisionis Christi, Passionum ejus, Crucifixionis Mortisque memoriam tempore Quadragesimali nobis propositam audiimus, & tandem etiam oculi fidei nostræ resurgentem eum à morte ac in coelum ascendentem spectarunt. Nec omnia ea haud alium, quam nostram salutem, finem respicere, ignoramus, condocentibus apertis Scripturæ locis, *Es. LIII. 4. 5. 6.* *Rom IV. 25.* *Col. II. 13. 14. 15.* *Ebr. X. 9. 10. 11. 14.* *I. Petr. I. 18. 19.* *II. 24.* *I. Job. II. 1. 2.* aliisque quam plurimis. At verò, licet Christus hæc omnia pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto, ceu contra Calvinio-Reformatos Theologi Nestrates dudum evicere, præstiterit; auctu tamen eadem solis credentibus prodesse & applicari, non minus notum & in confessio est apud omnes. Nam nec Nativitas, nec Circumcisio, nec pas-

sio, nec Mors, nec Resurrectio, aut Ascensio Christi boni quid cui-
piam realiter afferret, offerens licet omnibus, nisi spiritualium ab i-
psò nobis partorum donorum à Spiritu S. capaces redderemur par-
ticipesque. Quod procul dubio Salvator ipse docere voluit, sursum
ad Patrem abiitrus, Discipulos suos, *Job. XVI. 7.* alloquitus: *Ego ve-
ritatem vobis dico: prodeft vobis, ut Ego abeam. Si enim non abirem,
Paracletus non veniret ad vos: Si vero abivero, mittam illum ad vos;*
addito v. 3. *Quando autem venerit Ille, Spiritus veritatis, ducet vos in
omnem veritatem.* Is enim est, qui appropriate, personarumque
divinarum ordine servato, à benevolentia Patris nobis destinata, &
Filii merito nobis acquisita bona nobis applicat, eorundem actu
nos participes reddens. Non minus igitur aestimandum est, quod
ab hoc in nos confertur, bonum, siquidem meritum & acquisitio,
sine applicatione si forent, prodeſſe nobis haud possent, ut illorum
assequeremur finem & effectu gauderemus. Qui namque non credi-
derit, condemnabitur, *Marc. XVI. 16.* ira DEI super illo manente,
Job. III. 36. Sed salvificam in Christum fidem, Verbo & Sacra-
mentis mediantibus, Spiritus S. in nobis operatur, confirmat atque con-
servat, eoque non minus ac Pater atque Filius salutis aeternae no-
stræ causa existit. *Quo de consuluntur loca 1. Cor. XII. 3. Gal. III.
2. V. 22. Tit. III. 5. 6. 7.* & cumprimis integrum, quæ est ad Ro-
manos, Epistolæ Caput IX. ut in quo seriem texuit Apostolus sum-
morum, qua Spiritui S. accepta referre habemus, spiritualium do-
norum ac beneficiorum. Quæ ut agnoscamus, & debitas pro iis
gratias eorum exhibeamus Auctori, hodiernum Pentecostes Festum
honori Spiritus Sancti dicatum est, quod igitur haud immerito,
siquidem illius ad salutem nostram procurandam in nobis operatio,
applicatio videlicet meriti Christi, in Regno gratiæ postrema est,
antecedaneorum Festorum omnium dicemus complementum.

Ex quo jam sole clarius elucescit, CIVES HONORATISSIMI!
MI! quantâ reverentia, qua piâ devotione, devotâque pietate, quâ
item sanctitate peragendum nobis sit Spiritui sanctissimo sanctum hoc-
ce Festum. Cujus equidem rei quoniam fideles Verbi divini Præ-
cones nos pluribus admonituri sunt, mihi suffecerit in præsenti Vos
cohortari, habitâ salutis vestræ ratione, caveatis, ut ne vestris in a-
ctionibus committatis, quod beneficii Spiritus S. Vos indignos ef-
ficere

ficere queat. Exploreatis fidem vestram, juxta monitum Apostoli,
2. Cor XIII. 5. & eam operibus probetis, postulante Jacobo Cap. II.
18. Vah! autem, quam verendum nobis est, haud paucos inter Vos
inveniri, de quibus, quod à Spiritu DEI agantur, haud possimus
certi satisque securi esse. Effectus namque testatur de suâ caufâ.
Fructus autem Spiritus S. sunt, dilectio, pax, longanimitas, benignitas,
beneficentia, mansuetudo, temperantia, quæque virtutum Christianarum
omnium stirps, fons atque securigo, fides, Gal. V. 22.
coll. v. 6. Verum enim verò, si suas singuli juxta hæc actiones ex-
aminaverint, conscientia quorundam ipsis, vel me tacente, dictatura,
quam procul ab ipsis remoti sint, in contraria temere ac impruden-
ter ruentes, quorsumcunque trahit ac pellicit, carnis suæ duætum se-
quendo, se minimè spirituales, sed carnales totos esse, demonstran-
tes. At alia hac vice, magno quantumvis numero gliscentia vitia
& delicta tangere nolo, unicam, occasione Festi præsentis, quam haud
pauci in exercitio publici cultus divini, magno, proh! aliorum cum
scandalo, declarant, adversus Numen Altissimum irreverentiam me-
moraturus. Seneca, homo gentilis, Lib. VII Natur. Quæst. Cap. 30.
multorum, qui Christiani tamen & audire & videri malunt, in pu-
dorem: Egregie, scribit, Aristoteles ait: nunquam nos verecundiores es-
se debere, quam cum de DEO agitur. Si intramus templa compositi, si
ad sacrificium accessuri, vulnus submittimus, togam adducimus, si in
omne argumentum modestia fingimur; quantum hoc magis facere debe-
mus, cum de DEI natura disputationem. Ita Gentiles, solius Luminis
Naturæ duætum sequuti, sobriè judicant, & nos, quibus præterea
summa DEI sanctitas in Verbo revelata est, ipsis pejores in hoc nos
gerere vellemus? Absit à nobis! O MEI! & iterum iterumque ab-
sist per omnem modum! At quanto nihilominus cum tædio, quan-
to cum dolore sæpe conspicimus in Studiosis nostris, iis eriam non
nunquam, qui Sacris ceteroquin operam navant, quique bono aliis
exemplo esse debebant, quod Gentiles pudori sibi duætum abhor-
ruere. Namque hi verecundi de DEO agunt atque loquuntur: illi
autem ore invereundo cum DEO colloqui, aut aliis, cantando pre-
eandove, cum eo colloquentibus, invereundè agere non verentur.
Hi templa intrant compositi: illi dissoluti. Hi vultum ex vene-
ratione Numinis, submitunt: illi protervè ferociterque caput attol-
lunt

lunt, huc illuc vagos vanosque oculos contorquentes. Hi togam ad-
ducunt: illi vel sacratissima inter religiosissimaque negotia capita
tegere non dubitant. Hi sacra tractantes in omne argumentum
modestiae singuntur: at illi nullibi ferè, quam in ædibus sacris, im-
modestius se gerunt, hominibus plus reverentiae, quam summo DEO,
signis minimum externis, exhibentes. Itane Gentiles Christianos
olim pudefacent? Itane nos DEO placere posse, nobis imaginabi-
lur? Verùm, ut hæc Majestate divinâ indigna, hominibus autem per-
quam scandalosa spectacula removeantur, unanimi cunctorum consensu
nuper admodum à REV. CONCILIO conclusum esse, significo, quis-
quis Studiosorum in posterum in æde sacrâ; quacunque fuerit,
durante publico divini Numinis cultu, obambulare, aut ex-
tra Concionis horam, præsertim inter preces, cantica, sa-
cræ Dominicæ Coenæ administrationem, aut cum sacerdo-
talem benedictionem Verbi Minister populo impertitur, ca-
pite tecto conspectus fuerit, cum sine mora ad bien-
nii spatum, ex hac nostra Societate Literaria exclusum,
sineque ulla redemptionis aut intra terminum istum re-
ceptionis spe, publice relegatum iri, ne aliis ulterius offendiculo sit, nec Gentilibus, Majestatem divinam longe melius ve-
nerantibus, deteriores simus, vel opprobrio fiamus. Inter tem-
plum enim & xystum decens observari discrimen oportet: hic e-
nim ambulacris quidem, at istud publico DEI cultui sacrificisque ne-
gotiis est destinatum. Ceterùm, nos omnes Deus sanctissimo suo
Spiritu omni tempore regat, dirigat atque gubernet, ut ipsius in nos
collata beneficia qua decet gratitudine mentis agnoscamus, & eorum
perpetuò memores Festum hoc quotidie recolamus ut reliquorum

Festorum omnium Complementum.

Valere!


P. P. sub Sigillo Rector. Academ.

Fer. I. Pentecostes, d. 13. mensis Maji

Anno MDCCXXXI.



facere queat. Exploreatis fidem vestram, juxta monitum A
 2. Cor XIII. 5. & eam operibus probetis, postulante Jacobo
 18. Vah! autem, quam verendum nobis est, haud paucos in
 inveniri, de quibus, quod à Spiritu DEI agantur, haud
 certi satisque securi esse. Effectus namque testatur de su
 Fructus autem Spiritus S. sunt, dilectio, pax, longanimitas,
 beneficentia, mansuetudo, temperantia, quæque virtutu
 stianarum omnium stirps, fons atque securitudo, fides, Ga
 coll. v. 6. Verum enim vero, si suas singuli juxta hæc actiones
 minaverint, conscientia quorundam ipsis, vel me tacente, di
 quam procul ab ipsis remoti sint, in contraria temere ac imp
 ter ruentes, quorsumcunque trahit ac pellicit, carnis suæ du
 quendo, se minimè spirituales, sed carnales totos esse, dem
 tes. At alia hac vice, magno quantumvis numero gliscen
 & delictatangere nolo, unicam, occasione Festi præsentis, qua
 pauci in exercitio publici cultus divini, magno, proh! aliorum
 scandalo, declarant, adversus Numen Altissimum irreverenti
 moraturus. Seneca, homo gentilis, Lib. VII Natur. Quest.
 multorum, qui Christiani tamen & audire & videri malunt
 dorem: Egregie, scribit, Aristotle ait: nunquam nos verecundi
 se debere, quam cum de DEO agitur. Si intramus tempora con
 ad sacrificium accessuri, vulnus submittimus, togam adducimus
 omne argumentum modestia fingimur; quantum hoc magis face
 mus, cum de DEI natura disputamus. Ita Gentiles, solius I
 Naturæ ductum sequuti, sobriè judicant, & nos, quibus p
 summa DEI sanctitas in Verbo revelata est, ipsis pejores in
 gerere vellemus? Absit à nobis! O MEI! & iterum iterum
 sit per omnem modum! At quanto nihilominus cum tædi
 to cum dolore sæpe conspicimus in Studiosis nostris, iis etiam
 nunquam, qui Sacris ceteroquin operam navant, quique hoc
 exemplo esse debebant, quod Gentiles pudori sibi ductum
 ruere. Namque hi verecundi de DEO agunt atque loquunt
 autem ore inverecundo cum DEO colloqui, aut aliis, cantan
 endove, cum eo colloquentibus, inverecundè agere non vi
 Hi templà intrant compositi: illi dissoluti. Hi vultum e
 ratione Numinis, submitunt: illi protervè ferociterque cap



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. 011